

Franckesche Stiftungen zu Halle

Meditationes Selectæ De Sublimi Hominis Scientia

Braun, David

Gedani, Anno MDCCIV.

VD18 11444606

Meditatio Tertia De Beatitudine seu Summo Hominis Bono.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-197953

te, oculos meos à lachrymis, placebo DOMINO
in regione viventium!

Meditatio Tertia

DE BEATITUDINE

feu

SUMMO HOMINIS BONO.

SUMMARIA.

§. 1. Finis seu Summum bonum hominis non est
in ipso, nec in ullis rebus externis §. 2. Utrum in hac
vitâ propositum sit possidendum? quod Philosophi as-
seruerunt, alii in bonis corporis alii in animi bonis, sed
falsò. Consistit enim in participatione & fructione
Entis summi & æterni. h. e. religione verâ, quæ in futu-
râ demum vitâ perficietur. §. 3. Vita hæc ad summum
bonum inepta est, tam considerando corporis quam
animi bona. §. 4. Beatitudinem post mortem con-
tingere gentiles quoque confessi sunt. §. 5. Eamque
non solum animæ sed & corporis cum ea juncti fore, si-
cut infans in utero huic, ita hic homo futuræ paratur
vitæ. §. 6. Philosophorum omnium sententiæ de
Summo bono conciliantur, eo addito, quod de futurâ
vitâ intelligendæ sint. §. 7. Gentiles, Judæi recenti-
ores & Turcæ carnales voluptates futuræ vitæ beatæ in-
eptè affingunt. §. 8. Quid sint futura bona beatitu-
dinis nobis à Deo impertienda, tam animæ quam cor-
pori. Conciliantur Platonis, Porphyrii & Varronis
de Resurrectione sententiæ. §. 9. Epilo-
gus cum piis desideriis.

Post.



Ostquàm homini Excellentia & Im-
mortalitas sua cognita fuerit, proti-
nùs de fine præstantissimæ Substan-
tiæ suæ sollicitatur scire. Nam finis,
secundum sapientum definitionem,
potissima & optima rerum causa est,

ad quam cætera referuntur, quâque sublatâ tollun-
tur, & docente Aristotele: Finis à Formâ non ali-
ter quam ratione differt, unde Græcis Entelechia, à
telos h. e. fine dicitur, quasi perfectitudo finalis,
per finem enim res omnes perfectionem suam de-
mùm consequuntur. Quod verò perfici cupit, im-
perfectius est eo à quo perficiendum est, atqui finis
cujuscunque rei perfectio est, proindè dum animæ
finem seu perfectionem Summam indagamus. id
querimus, quod animâ est perfectius, nempe. Sum-
mum ejus bonum, quod perfectum & sine fine bea-
tum hominem reddere potest, quo referentes o-
mnia quæ agimus, & quod non propter aliud, sed
propter seipsum expetimus, idque adipiscentes, ni-
hil quo beatissimus requiramus. Ideò quippe &
finis est dictus, quia propter hunc cætera volumus,
ipsum autem non nisi propter ipsum. Enimvero
Homo, præstantissimus omnium Creaturarum sibi
ipsi Finis & beatitudo illa esse non potest, hoc enim
tantùm Enti quod necessariò, i. e. à se ipso exi-
stir, quod est solus Deus, convenit, ipse extra se
nihil perfectius in Universo offendit, à quo esse su-
um habeat, igitur in se summam perfectionem &
beatitudinem experitur. Homo autem, licet ex-
cellentissimus omnium, tamen quàm insufficientia,

inconstantia, metu, errore & anxietate plena bona sua sint, quotidie deplorat, necessario igitur in alio præstantiori bono, quod non est ipse, finem & beatitudinem suam quærit. Neque enim liberum illi est, velle hunc finem suum persequi aut non velle, quia naturæ humanæ altissimè impressum est, *Desiderium felicitatis perpetuæ*, quod nullo affectato stupore mentis obrurari, neque ullis aliis rebus, sub falsâ ratione finis, ab homine acquisitis, saturari unquam potest. Unde protinùs sequitur: *Nec in ullis rebus externis mundi*, quas homo extra se sensib⁹ capit, esse ejus beatitudinem seu finem; experitur enim, se in nullis penitus desiderium suum sistere & implere posse, utpote multo ignobilioribus & impotentioribus seipso, qui est omnium Princeps, cujus gratiâ omnia sunt facta, adeoq; finis ejus esse non possunt, quin potius ipse homo finis est illorum. Præterea finis cujuscunque rei proprius, in re maximè sibi propriâ, nec cum aliis communis positus est: Igitur finis hominis peculiaris & proprius quærendus est, in eâ parte, quâ à cæteris rebus omnibus est distinctus, nempe in animâ rationali, & eatenus verè intra nos esse oportet, quod nos beatos faciat, externa heterogenea sunt animo, ideòque ei non miscentur; Nihil stultius est, quàm summum bonum rationalis naturæ in irrationalibus quærere, talibus intumere bonis, tam in sanum est, quàm commodatâ veste vel assumptâ in scenâ Majestatem superbire. Ipsæ tamen res omnes externæ declarant, quâ conditione & nos in vitam missi simus; videmus enim eas omnes ad finem

finem suum abundè instructas ornatasque, unde
necessariò colligimus, copiosius esse homini, Prin-
cipi omnium, collatam facultatem metæ suæ per-
tingendæ. Idcirco omnium certa sententia est,
qui ratione quoquo modo uti possunt, beatos esse
omnes homines velle; Nimirum beatitudo bo-
num est, bonum autem omnia appetunt, præser-
tim summum illud, quod est possessio & fruitio
omnium penitus bonorum, & Carentia atque ab-
sentia omnium penitus malorum, sed pulchre ad-
dit S. Augustinus Confess. l. 10. cap. 22. Unde „
noverunt eam beatitudinem homines, quod sic „
volunt eam? Ubi viderunt, ut amarent eam? „
Quam nisi certâ notitiâ nossemus, non tam certâ „
voluntate vellemus? Beatus quippe vult esse, et „
iam is qui sic vivit, ut non possit esse.

§. 2. Rectè igitur progressuri, *utrum in hac
vitâ homini metâ suâ, seu summa beatitudo assequen-
da, proposita sit, quarimus?* Philosophi sanè, cum
de summo hominis bono disputarunt, non confi-
deraverunt hominem, nisi prout in hac vitâ est,
propterea alii in bonis corporis summum bonum illud
hominis collocarunt, ut Cyrenaica Secta & Epicu-
rei, alii in bonis animi temporalibus, ut Stoici in vir-
tute, Pythagorei & Platonici in Contemplatione
rerum optimarum. Sed sicut illi voluptatis cor-
poræ sectatores, infra homines cum bestiis, ad
stercora & fœtores projecti, à sanioribus damnati
sunt, itâ hi quod falsum est faciliè inventientes, quod
verum est tamen non indagarunt. Nam qui vo-
luptatem in hac viâ, summum bonum docuerunt,

impingunt in id, quod dum de officio hominis agitur, summum summi animalis bonum oporteat in eo constitui, quod commune cum cæteris animalibus brutis esse non possit. Quod si asino, porco aut Cani facultas loquendi tribuantur, interrogati, quid sibi rabida formullarum persecutio, quâ sæpè cibo potuque & aliis vitæ commodis carere coguntur, velit? haud aliud, quàm voluptatem summum eorum esse bonum responderent. Sed neque hoc bestiarum summum bonum verè dici potest, quia quod vivendi aut generandi causâ datum est omnibus, est equidem bonum naturale, summum tamen non est, nisi quod unicuique generi proprium est. Neque quisquam assereret, bestias eo sine factas esse, ut afficiantur svavissimis sensibus, pro quibus assequendis nec inedia nec vulnera nec mortem recusandam putent. Finis sui apprehensio sanè omni Creaturæ naturaliter inest, natura enim unicuique animanti appetitionem indidit, quæ est sui ipsius commendatio, naturâ sic animans sibi conciliante, summâque Concordiâ & charitate devincente, quam appetitionem, cum Cyrenaici & Epicurei voluptatem dicunt, manifestò falluntur, quod latè deduxit Cicero l. 2. § 33. & 34. de Finibus quia nemq̃ amor suæ Conservationis non est voluptas, hæc enim nunquam nisi seq̃uiori significatione accipitur pro vitio, add, ex Senecæ Epist: 92. & 123. Tantominus voluptas hominis beatitudo seu summum bonum erit, quia & cum bellis communis est, & honesti vim non habet, (cujus ratio humana naturaliter appetens maxime

max
im
dox
à su
ben
tute
min
tem
libu
qua
ipsa
uni
hor
figi
abe
no
tan
ten
per
qu
ne
hu
be
Gl
sur
Vi
inj
no
pa
en
bo

maxime est) & societatem affert, & nimio imo
immodico usu nocet. Unde bene Cicero Para-
doxo 1. Quo major voluptas, eo magis mentem
à sua sede statuque dimovet. Idem in Catone M.
bene deduxit: In voluptatis regno non posse vir-
tutem consistere. Porro voluptas processu ætatis
minuitur, & multis non contingit; Summum au-
tem bonum Omnibus hominibus, uti natura æqua-
libus plane idem propositum esse oportet. Ex
qua ratione nec divitiæ, nec honores, nec Regna
ipsa, ad hoc bonum pertinent, quia necesse est
universos esse Summi Boni capaces. Altera turba
honestior, quæ Virtutem dignitate hac summa in-
signivit, minus quidem sed tamen summopere
aberravit a Vero. Licet enim merito ad Virtutis
nomen assurgamus, bonamque prædicemus,
tamen cum Virtutem qua talem beatam esse nulla-
tenus videamus, nam vis & natura ejus in malorum
preferentia posita est, utique Summum bonum,
quod est sine fine beatum, per se dicere Virtutem
nequimus. Porro Virtus, quia actus est voluntatis
humanae, non potest præstantior esse ipso homine,
beatitudo verò in præstantiori bono consistit.
Gloria etiam & alia ex virtute provenientia non
sunt in ipsa Virtute, sed in arbitrio aliorum posita;
Videmus enim fere magis propriam esse virtuti
injuriam & contemptum hominum. Enimvero
non posse ad ullum bonum sine labore perveniri
palam est, Virtutis autem officium est, in suscipi-
endis & perferendis laboribus, igitur Summum
bonum ipsum Virtus esse non potest, sed per eam
necessum

necessum est ad aliud perveniri. Certe virtuti cum
 vitiis & Calamitatibus tanta in hac vita sunt bella,
 ut plane victrix raro evadat, sapius succumbat:
 Quod autem Stoici, si mala ultra ferre non possint,
 sapientia *αὐτοχρησίαν* persvaderent, S. Augustinus
 bene corripiens ait; O vita beata, quæ ut finiatur,
 mortis quærit auxilium. Idem l. 4. de Trinit. c. 2.
 ex Hortensio Ciceronis allegat, ubi Cicero in futura
 vita nulla virtute opus fore asseruit, atqui bonum
 Summum necessum est fore perpetuum. Scilicet
 boni isti sapientes cum ignorarent, quid efficeret
 virtus, aut quò tenderet, honestius autem nihil re-
 perirent, substiterunt in ipsius virtutis nomine,
 quam nullo ultrà emolumento proposito appeten-
 dam esse dixerunt; & bonum sibi constituerunt,
 quod bono indiget, ipsi autem profiteri coguntur,
 virtutem non propter se ipsam, sed propter bea-
 tam vitam esse experendam, quæ virtutem demùm
 sequitur. Denique si verum est, quod Plutarchus
 „ lib. adversus Stoicos §. 23. sapienter profite-
 „ tur; Nemo ad virtutem sobriè sese confert, sed
 „ vagamur omnes, turpiter agentes & misè vi-
 „ ventes, ita ratio nos inebriat adeòq; conturbat &
 „ dementat: quàm ineptè Pythagorei eorumque se-
 „ quaces, in Contemplatione rerum optimarum,
 Summum hominis bonum collocarunt. Videlicet
 veri assequendi in contemplationibus hujus vitæ
 incapaces sumus: Quod equidem in corrupto ra-
 tionis nostræ statu situm esse, gentiles sapientes
 intellexisse, dignum est notatu, quod propterea pur-
 gationem animæ necessariam esse statuerint, per
 expia-

expiationes, lavacra & aspergines, item alias abstinentias, de quibus Laërtius in Pythagora. l. 8. cap. 33. Tres autem potissimas purgationes animæ pagani exercuerunt, aquâ, terrâ & igne. Et Plutarchus poenas in tartaro diserte assignat illis, qui sine expiatione moriuntur. l. de ferâ Numinis vindictâ §. 36. & 47. & l. de facie Lunæ. §. 54. Unde præstantissima omnium fuit conjectura Solonis, in alterâ vitâ hominum repositum esse Summum bonum.

Scilicet, ultima semper.

Expectanda dies homini est, dicique beatus

Ante obitum nemo, supremaque funera debet

Quâ quidem sententiâ beatitudinem in solâ amissione hujus vitæ, non collocasse Philosophum opinemur; Si enim amitti potest vita beata, non est beata. Nihilominus illi ipsi sapientes, præsuppositâ hâc animi imbecillitate & corruptione, ultrâ ad verum ejus summumque bonum non progressi sunt. Restat igitur, quoniam apud sapientes hujus sæculi, veram beatitudinem non invenimus, ut ad illuminatos divinis revelationibus Doctores confugiamus. Hi Oraculo DEI concordēs docent nos: Omnia hujus vitæ bona, Corporis & Animi, nauci pendere, & pro bracteis talibus, futuræ vitæ commoda sectari. Nam, omnia illa inquit Augustinus de Civ. DEI. l. 22. c. 24. miserorum sunt damanatorumque solstia, non beatorum præmia. *Summam proinde beatitudinem in participatione & fruitione Entis summi, æternæ*

æterni, quod est DEUS collocamus: Expe-
 dita enim hæc ratio est hominis, si sapiat, cujus
 maximè propria est Humanitas, hæc quid est nisi
 Justitia, quid est Justitia nisi Pietas, quæ est DEI
 parentis nostri agnitio. Hucusque ascendit Plato,
 qui in Eutyphrone duas partes Justitiæ facit: Pri-
 mam Pietatem ergà Deum, alteram ad homines.
 Sed ingenuè Cicero. l. 3. de officiis fatetur: Nos "
 veræ germanæq; Justitiæ solidam effigiem nul- "
 lam tenemus, umbrâ tamen utimur, eamque "
 ipsam utinam sequeremur. Hucusque progressa
 sapientia vera, cognoscit summum hominis bo-
 num in solâ Religione seu agnitione DEI, & cum
 in hac mortalitate imperfectam eam esse intelligit,
 in immortalitate futurâ explendam judicat. Hunc
 Finem suum Homo sapiens persequitur, novit enim,
 seâ DEO in hunc Mundû tanquam testem laudato-
 remque tanti sui operis esse inductum, in futuram
 autem vitam, tanquam præparatam fidei servo se-
 dem beatissimam introducendum. Hoc summum
 bonum soli Homini proprium, omnibus quoque
 Hominibus propositum est, neque in Re inferiore
 vel æquali Homini, quæritur, sed uti summum &
 nunquam interiturum bonum, in summo & præ-
 stantissimo atque æterno, qui est DEUS, nam ut
 Vita carnis Anima est, ita beata Vita Hominis
 DEUS est.

§. 3. In hac vita si hominem contemplamur,
 nihilominus, quam finem & beatitudinem suam
 assequi animadvertimus. Corpus est sortitus im-
 becillum, fragile, incommodis & morbis, atque
 mor-

mor-
vis a
riis o
funt
turn
Nos
Can
Volu
funt
leffia
Brut
pollu
secur
num
tatib
felic
creb
femp
mun
debi
natu
dign
volu
est c
rum
bus
quin
jure
dera
abul
quan

mortis generibus innumeris, obnoxium, avi brevis ac incerti, cui exitus singulis momentis ex variis causis impendet. Brutis firmiora & robustiora sunt corpora, minus concussa morbis & ætas diuturnior.

Nos aper auditu, lynx visu, Simia gustu,

Canis odoratu, præcedit aranea tactu.

Voluptates corporis breves & plane momentaneæ sunt hominibus, nec unquam meræ, semper molestia admixtæ, relinquentes mœrorem & morbos.

Bruta & pluribus & Majoribus, quia sensibus præpollent & diuturnioribus perfruantur, sumunt eas secure sine reverentia, sine respectu DEI vel hominum, sine repugnantia conscientiæ, quæ cupiditatibus corporis reclamationat. Quod si in iis esset felicitas, certe felicior fieres, quo iis & diutius & crebrius uteris, illud enim bonum ubique & semper appetibile sit necessum est, quod est summum. Atqui tunc sis miserior, quia frangitur & debilitatur Corpus, Animus autem in beluaram naturam degenerat, à suâ humanitatis connata dignitate ad pecudum naturam prolapsus. Porro voluptatis omnis usus tegitur & occultatur, quod est contra naturam boni; Equis nisi omni scelerum conscientiam mersus, & damnatis turpitudinibus stigmosus, de voluptatibus perceptis gloriatur? quin potius quærunt tenebras etiam in iis, quæ jure ipsis indultæ sunt, sed salva honestate & moderatione, ad usum naturæ necessarium, non ad abusum; Neque voluptas quicquam aliud est, quam abusus appetitum naturalium. Sed si quis est

est animæ Sardonius risus, is in hujus modi violentis lætitiis, ac permixtis fletu risibus est, ait Plutarchus §. 35. lib. non svav. secundum Epicurum viv: Ipsi Epicurei non sustinentes honestorum abominationem sententiæ suæ, de voluptatis summo Bono, velum honestæ matronæ, animi nempe Voluptatem indigitare se velle, circumdare coacti sunt, nisi humanum plane sensum exuisse audire vellent; Sed neque hanc excusationem Cicero & alii moratiores receperunt. Caterum necessaria naturæ sustentandæ opera, edere, bibere &c: quam sunt res molestæ, toties repetendæ, & ubi finitæ sunt abit delectatio gustus, relinquuntur ructus & fœdæ egestionēs. Vestes pudori consulunt, quod bonum esse potest in eo, quo felicius careremus si liceret, infirmitas nostra talia invenit, non præstantia; Signum igitur nuditatis & miseriæ nostræ circumferentes, in eo ceu fures fane byssino, de quo pendere debent, superbimus, quam sunt meliori conditione quibus hæc non sunt opus. Denique quid potest esse circà corpus vel in corpore bonum expetendum, cum nihil illo sit turpius, & cuticulâ tenui sublatâ fœtidius. Et hæc sunt naturalia pauca & exigua, quibus corpus alitur & regitur, cætera humana vanitas invenit, quæ deliciis & pravo usu auximus immensum, atque effecimus ut illis indigeamus, ut justè exclamare possis: O homo miserum jumentem, quiste adeo oneravit! operam tuam spargis in delinofas lassitudines. O miseram & deplorandam conditionem vitæ! Homo res omnium nobilissima, & Princeps mundi sublimis,

naris
to di
verre
ciend
nem,
Vah
ditun
in pr
rum
nasci
laren
est vi
temp
rit. A
munc
& ma
potest
pius
sunt
diaru
singul
regra
ne, c
mult
cant
minu
& b
frauc
re co
dere

naris, Charissimum DEO animal, occupatur to-
 to die in poliendo calceo, aut rondendo crine &
 verrenda togâ, vel in coquendo cibo, in far-
 ciendis intestinis, involvendo secum vel ultio-
 nem, vel fraudem, vel cædem & vastationem.
 Vah miserum genus servitutis! Huccine te con-
 ditum existimas? Audi Senecam qv. natur. l. i.
 in præf. sapienter profitentem: Nisi ad divino-
 rum contemplationem admitterer, non fuerat,
 nasci, an ut cibos & potus vitâ Charadrii perco-
 larem? Detrahe hoc inæstimabile bonum, non,
 est vita tanti ut sudem ut æstruem, O quam con-
 tempta res est homo nisi supra humana surrexe-
 rit. Nam opes, honores, & quæcunque excelsa
 mundi habentur, quam ærumnosè quæruntur,
 & majoribus molestiis conservantur. Neque in
 potestate acquirentis, sed fortuita sunt, malis sæ-
 pius quàm bonis congesta; Quid igitur in se pos-
 sunt habere boni, quæ causæ sunt Invidiæ, Infi-
 diarum, proditionis, & ferè tot scelerum, quibus
 singuli homines, totæ familiæ, imò & Regna in-
 tegra concutiuntur. Honorum autem Ambitio-
 ne, quid magis vanum cogitari potest: Ut de viâ
 multi cedant, caput retégant, latus cingant, du-
 cant & reducant, DEI pietatisque & mutuæ ho-
 minum charitatis oblitus, per mixturas malarum
 & bonarum artium, imò per omnia scelera &
 fraudes, super cadaveribus obstantium, ascende-
 re contendis, undè levissima vulgi aura te detru-
 dere ad imum infamiæ locum facilius potest,
 quan-

quanto excelsiora concupiveris, & adhuc super-
est tibi iustissima, in æterno barathro luenda ul-
tio. Neminem enim DEUS alium patitur de se
magnificè sentire quàm seipsum, & gaudet emi-
nentissima quæque deprimere, quâ sententiâ Ar-
tabanus Xerxis superbiam retudit apud Herodo-
tum l. 7. Præterea ferè honores populi, belluæ
illius multorum capitum, arbitrio subsunt: Quæ
potest esse felicitas in alieno arbitrio, eoque rudi
ac crasso iniquoque sita? judicat enim de præstan-
tiâ non iudicio sed affectu. His igitur periculis
laborant ambitiosi *in Titulum sepulchri sui.* De
Nobilitate quid dicendum, cum ex vero qui judi-
cat, nihil inanius hominibus excogitatum, quod-
que minùs haberet solidi quod apprehendas fa-
teri cogatur. Rarus fermè sensus communis hu-
manitatis in illa Fortuna est, quia cæteros, sui
licet generis, vix hominum habent vicē. Cum
„tamen, inquit Seneca ep. 44. nullius non origo
„ultra memoriam jaceat. Nemo Regum non ex
„servis oriundus est, nemo servorum non ex Regi-
„bus. Omnia ista longa varietas miscuit, & fur-
„sum deorsum versavit, ne ex discrimine originis
„oriretur contemptus. Et idem ep. 31. *Nos magis*
„sunt quam *Nobiles*, hanc enim virtus promiscuè
„confert, illam potentioribus ambitio. Quid
„enim est Eques quid Servus? Nomina ex ambitio-
„ne vel injuria orta. Idem de benefic. l. 3. c. 18.
Et Juvenalis Sat. 8.

Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,

Aut

Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.
 Si famam & gloriâ in esse credis, non assequeris,
 quam hæc res vana sit, & fumo levior, præsentium
 enim quantula pars hominum te norunt,
 quare longè plurimos vicinos tuos in suburbiis &
 agris proximis habitantes, si te in arduâ Arce sedentem
 noverint; futurorum nec bona nec mala memoria te afficiet,
 ipse cum gloriâ tuâ in tenebris terræ absconditus jacebis, & quanto
 major fueris, tanto gravius DEI judicium expectabis.
 Ipse est qui excelsos judicat severè præ aliis,
 & potentes de sede movet, judicium durissimum
 his qui præsumunt fiet; Exiguo conceditur
 misericordia sed fortioribus fortior instat cruciatio.
 Sapientiæ c. 6. Sed & pleraque gloria falsa est,
 & ex atrocibus & injustissimis factis potentibus
 adulatione vel metu populi ingesta. Scrutemur jam
 & animum, in cuius facultate seu parte imâ sunt
 motus illi, qui affectus vocantur: His verò quid
 atrocius, turbulentius, sævius, quorum abusu homo
 in feram degenerat, vitam faciunt non beatam,
 sed prorsus amarissimam. Altera superior pars mens
 vocatur, hujus duæ facultates sunt intellectus & voluntas,
 sed quæ corruptæ utraque sint supra deduximus;
 in intellectu humano summæ tenebræ, & sine ductu
 DEI puri errores falsæque opiniones, in voluntate
 quæ pravitas connata? cui temperandæ integerrimæ
 virtutis omnis cura & labor vix quicquam præstat,
 domandæ nihil sufficit. Igitur

vel in contemplatione, vel Virtute bonum summum hominis collocare, planè est ignorare defectus humanos. Imo ipsa quoque nostra Justitia, quamvis vera sit, propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potius in peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum, quomodo ait Augustinus de Civit. DEI. l. 19. c. 27. Hinc igitur patet, neque in externis, neque in se ipso hominem in hac vita summum suum bonum habere, quod si nec habet in altera, frustra & sine causa finali factus est; Non est autem frustra, restat ut ad alteram vitam conditus existimetur, ibi est quies, finis & beatitudo illius.

§. 4. Ipsi gentiles quadantenus attigerunt hanc veritatem, sed quia filium à Spiritu DEI datum non persecuti, in communes cæcitates relapsi, cum vulgo crediderunt. Præter Solonis sententiam supra allegatam, & Ansthenis geminam refert Laërtius l. 6. §. 5. quâ feliciter mori summam hominis felicitatem prædicat. Euclides Megaricæ sectæ auctor summum bonum hominis definivit multis nominibus celebre, quod est *ILLUD* & *Simile*, & *Idem* & *semper*, vocarique *DEUM*. Laërtius in Euclide. §. 106. l. 2. & Cicero Acad. qv. l. 2. Imò multi Philosophi diserte professi sunt: Non posse vitam beatam obtineri in hac vitâ, corpus quippè morbis & passionibus multis affligi, animam vero simul cum corpore pati, & unâ turbari. Laërtius in Aristippo l. 2. §. 94.

In ec
à bo
inep
lus n
l. §. 8
de f
man
cont
de I
tiam
soph
cer h
mixt
mate
renti
ma
nil u
duct
absq
biter
Sym
& Pl
Laër
rum
ris p
evin
Justi
bus
tradi
meli

In eo potissimus Sapientum error fuit, quod finem
à bono h. e. felicitate hominis separarint, quam
ineptè manifestò constat: Cum finis hominis nul-
lus nisi bonus & beatus esse possit. Vid. Laërt. d.
l. §. 87. & in Platone §. 78. & 99. Cicero libris
de finibus. De quo errore abierunt, qui sum-
mam beatitudinem post mortem in fruitione Dei
contingere homini docuerunt. Plutarchus libro
de Iside & Osir. §. 93. gravissimam fert senten-
tiam, his verbis: Perfectum se ad finem Philo-
sophiæ pervenisse existimandum, quandò scili-
cer homines ratione prætervecti opinabilia ista,
mixta & omnigena, ad primum istud simplex &
materiæ expers profiliunt, veramque de eo sen-
tentiam attingunt, quod postquàm solutæ ani-
mæ à corpore migraverint, in purum & passio-
nis us non obnoxium, ibi tunc earum ipse DEUS,
ductor est, ab ipso pendentium, spectantiumque,
absque ullâ satietate, & desiderantium ineffa-
bilem hominibus pulchritudinem. Idem. l. 8.,
Symplosicon. quæst. 2. princ. plura talia habet;
& Plato, Finem hominis dixit: *DEO similem fieri.*
Laërt. in Plat. §. 78. Ecquid aliud Philosopho-
rum & Poëtarum fabulis mixtæ veritates, de futu-
ris post mortem pœnis animarum vel præmiis
evincunt; Potenter enim ipsos convicit opinio
Justitiæ divinæ, quod sicut quos hic pro sceleribus
malos non punit, in futurâ vitâ tortoribus
traditura sit, ità absurdum judicarunt credere,
meliorem partem generis humani, nempe bo-
nos,

nos, tantum ad cruciatus & omnia mala hujus vitæ, non etiam ad præmia futuræ, factos esse. Hinc ipsorum omnes actiones heroicæ, ab viris Magnis magnâ virtute profectæ, non intuitu hujus vitæ (In quâ nullam tantorum meritorum illi somniare potuerunt compensationem) sed futuræ gestæ sunt. Quod Augustinus l. 1. c. 15. de Civit. DEI in M. Atilii Reguli Cos. Romani patientiâ & Constantiâ notat, quod is acerrimis hostibus Carthaginensibus ad exquisitissimos cruciatus sese sistere, quàm fidem juratam fallere DEosque injuriâ afficere maluerit. Nonne stultissimus omnium Regulus, si spem futuræ vitæ præmiique non habuit, & tanta mala, veneratione Numinis, passus est, sine metu futuræ ultionis vel gratiæ divinæ. Num difficilè existimenus gentilibus quoque fuisse Inductione concludere? Cum res omnes extra nos percipiamus sensibus, sensus autem referantur ad animum, qui omnia à sensibus sibi oblata contemplatur, prout rem bonam vel malam judicat, eligendam vel fugiendam committat voluntati, porro nec mens unquam quiescat, donec in illo quod ex ipsius regimine voluntas apprehenderit, nihil vero inveniat DEO melius & perfectius, proinde DEUM amandum & venerandum voluntati sedulo committat. Hic amor DEI recte ac perfecte cogniti, si est ab omnibus infirmitatibus purgatus, beatissimam Creatoris cum Creatura unionem efficit, quo respicere & desiderio flagrare in hac vitâ possu-

possi
ultim
mun
torp
fene
mot
natu
poro
DEO
nem
cher
dem
Sed
volu
inve
in D
dun
por
cess
imp
pate
run
run
via
plen
unt
l. 2
aut
tio
tu f

possumus, pertingere non possumus; Adeoque
ultimarie consequens unio hæc cum D E O, ulti-
mum hominis finem esse oportet. Quæ unio non
torpore & otio absolvitur (Sic enim beatiore es-
sent dormientes quam vigilantes, quod in semper
motiva Substantia est absurdum) Sed secundum
naturam animæ, nunquam otiosæ, si cum Cor-
pore, aliàs exanimi jungatur, multo magis cum
DEO unita, semper operosa est. Contemplatur
nempe bonitatem & Majestatem D E I, hinc pul-
cherrimâ illâ pulchritudine D E I capta, amore ei-
dem ejusque Voluntati arctissime jungi desiderat.
Sed non solum summa pars animæ, Intellectus &
voluntas, summam suam felicitatem in D E O
inveniunt, ima pars ejus quoque, affectus nempe,
in D E O demum satiantur. Neque enim, secun-
dum Stoicos, illi motus animi eradicandi, & stu-
por in activa hæc Substantia affectandus, quia ne-
cessariò, ad tuenda officia vitæ, eorum motuum
impetus inditus est homini, neu secundum Peri-
pateticos affectus moderandi sunt, sed causa eo-
rum, inque rectam viam sunt reducendi, ubi eo-
rum cursus offensione ac periculo careat. Hæc
via recta ad D E U M ducit, in quo finem suum &
plenitudinem suam omnes affectus nostri reperi-
unt. Unde verissime S. Augustinus in Confess.,
l. 2. c. 6. Superbia celsitudinem imitatur, tu,,
aurem D E U S super omnia es excelsus. Ambi-
tio quid nisi honores quærit & gloriam, cum,,
tu sis præ cunctis honorandus, Unus & glorio-
sus

„ sus in æternum. Blanditiæ lascivientium amari
 „ volunt ? Sed neque blandius est aliquid tuâ
 „ charitate , nec amatur quicquam salubrius
 „ quam illa præ cunctis formosa & luminosa veri-
 „ tas tua. Et curiositas affectare videtur studium
 „ scientiæ , cum tu omnia summè noveris. Igno-
 „ rantia quoque simplicitatis & Innocentiæ no-
 „ mine regitur, Te vero simplicius nil quicquam
 „ reperitur ; Quid autem te innocentius ? quo-
 „ niam opera tua malis inimica sunt. Et igna-
 „ via quietem apperit, quæ vero quies certa præter
 „ Dominum ? Luxuria satietatem ac abundantiam
 „ am se cupit vocari , tu tamen es plenitudo &
 „ indeficiens copia incorruptibilis sævavitatis. Ef-
 „ fusio , liberalitatis obtendit umbram , sed bo-
 „ norum omnium largitor affluentissimus tu es.
 „ Avaritia multa possidere vult , & tu possides
 „ Omnia. Invidia de Excellentia litigat , quid
 „ te excellentius ? Ira vindictam quærit , te justius
 „ quis vindicat. Timor insolita & repentina ex-
 „ horrescit , rebus quæ amantur adversantia , dum
 „ præcaver securitati , tibi autem quid insolitum
 „ quid repentinum , aut quis à te separare valet
 „ quod diligis , aut ubi nisi apud te firma securi-
 „ tas est. Tristitia rebus amissis contabescit , tibi
 „ auferri , nihil potest. Ita fornicatur anima
 „ cum avertitur abs te , & quærit extra te ea quæ
 „ pura & liquida non invenit , nisi cum redit ad te.

§. 5. Tandem nec corpus in resurrectione
 mortuorum animæ unitum , expers suæ beatitudi-
 nis

nis erit, nam præter summam suam claritatem, agilitatem, impassibilitatem, & Subtilitatem seu rarefactionem spiritualem, quibus necessitatibus his terrestribus exemptum erit, Sensibus omnibus (qui in hac vita mediocri mox usu obtunduntur) ibi in objectis in tam Spirituali vitâ remanentibus, ineffabilis continget Satietas sine fastidio, mulcebuntur sine foeda voluptatis infectione. Ibi in DEO corpus & anima indivisim infinito gaudio & lætitiâ perfuerunt, Ibi in concilio illo divino Animorum, ut ait Cicero de Senect: nulla erit tristitia, aut complacentiæ interruptio. Ibi, quod ait Plotinus. Enn. 1. l. 5. c. 5. Mens nostra in DEO omnia vera, sicut in forma veri videbit, & sic infinite delectabitur. Hæc est vita illa futura sempiterna, ad quam in hac vita angustia & tenebris paramur, quemadmodum in utero matris concipimur & paramur ad hanc lucem & vitam, quod verissimum Simile Strabo l. 15. Geograph. p. m. 456. ex Metastene de Brachmannis Indorum Philosophis refert, ibi: Multa eos de morte dicere, & hanc vitam putandam esse quasi quendam viduum hominum conceptum, mortem verò nativitatem ad veram illam & felicem vitam, iis qui, recte philosophati sunt; Idcirco eos multâ exercitatione uti ad mortis præparationem. Itaque paramur in Utero vitæ corporis, in corpore autem vitæ mentis. Horret animus discessum ex hac vita, propter ingentem mutationem, & sic est affectus quemadmodum infans nasciturus, exit enim infans nascens & homo moriens, uterque ex tenebris

nebris & angustis in lucem novam, faciemque rerum admirandam, quâ novitate uterque perterrefactus, nollet ex suo gurgustio prodiere, nisi urgeretur artificio naturæ. Non dubitandum etiam, quin hominis mors magnam habeat cum ortu cognationem & similitudinem, propter eam imperfectionem quæ est infanti in utero, cujus causa cogitur crescere & prodire in usum lucis huius, & eandem imperfectionem hominis iterum in hac vita, in qua homo, non sicut beluæ funguntur omnibus suis facultatibus a natura inditis, hæc vivunt & intereunt, sed cum potissimas animi sui facultates & desideria, propter vitæ huius miseræ impedimenta explere non potest, ad perficiendum ultimario omnem perfectionem & beatitudinem suam, ad alteram vitam morte quasi nascitur.

§. 6. His ita per gratiam DEI nobis revelatis haud difficile erit, omnes Philosophorum de Summo Bono sententias, ab errore ad rectam revocare viam, unico hoc additamento, quod intelligi debuissent de futuræ Vitæ beatitudine, sic enim omnes opiniones illorum mox fiunt veritates. Ita (1) cum Pythagoricis sentire beatitudinem consistere in contemplatione, verum erit. Sed contemplatio hæc non est verborum congeries, aut disciplinarum rapsodia, sed vera ejus qui contemplatur, cum ea re quam contemplatur conjunctio & unio, mentis puta cum DEO. (2) Platonis sententiâ: quod summum hominis bonum consistat in Idea boni, nihil verius, modo Idea illa omnium bonorum, i. e. infinitam illud & Sum-

Sum
omn
stote
Plato
Fine
lis fa
hanc
ratu
est
mar
Hæc
felic
virtu
enti
tali
affe
tes
par
&
por
qui
cen
apu
&
me
Im
sua
den
im
&
ga

Summum Bonum, æternus & Verus DEUS, fons
 omnium bonorum intelligatur, tunc enim nec Ari-
 stoteles haberet, quod derideret. Atqui idem
 Plato apud Laërtium. § 78. docuisse inducitur.
 Finem hominis esse, DEO similem fieri. (3) Aristote-
 lis famosa sententia, de Summo Bono, si non ad
 hanc miseram, sed futuram beatam vitam refe-
 ratur, verissima est. Nam reverâ felicitas summa
 est Animæ rationalis, secundum virtutem opti-
 mam & perfectissimam Operatio, in Vitâ perf. ciâ.
 Hâc operatione non saltem novit Anima DEUM
 felicitate theoretica, sed & praxi adhibita ejusdem
 virtutes imitatur, idque in vitâ perf. ciâ, in quâ sapi-
 entia, hominis virtus nempe optima & præstan-
 tissima, consummabitur, & voluntas omnibus
 affectibus prorsus edomitis, Justitiæ, inter virtu-
 tes practicas optimæ, sese totam consecrabit, &
 particeps erit divini Numinis. (4) Hâc ratione
 & Stoicorum assertio, de Summo Bono, quod
 ponunt in Virtute, facillè conciliatur Veritati; Si-
 quidem & illorum sententia, qui beatitudinem
 censuere, Similitudinem DEI, aut sicut Epictetus
 apud Arrian l. 1. Dissert. 29. ait: Sequi DEUM,
 & mentem suam submittere gubernanti omnia
 menti, quomodo boni cives sunt sub lege Civitatis.
 Imo (5) Epicuri sententia, Summum Bonum esse
 suavissimè vivere, quod consistat in voluptate, eo-
 dem temperamento in viam rectam, ex cœno cui
 immersa est, reducitur. Si enim ad animi simul
 & corporis rectè dispositi omnibusque viriis pur-
 gati, tranquillitatem & lætitiâ puram & sincere-
 ram

ram anhelamus, quæ à nemine nisi solo DE o verè
cognito & amato, in futura vitâ perfectissimè præ
stari nobis potest, certè sanctissimam voluptatem,
purgato per mortem etiam vocabulo, quod in hac
vitiis colluvie inquinatum est. sectabimur. Atqui
Aristoteles Complacentiam & voluptatem hone
stam, necessarium summi boni post virtutis ope
rationem, uti loquitur, superiorientem finem di
xit. Ideò si Epicurus, qui in Kyriis doxis suis &
epistolis, apud Laërtium, satis sobriè docuit, &
quod ibidem Laërtius & Seneca in Epistolis passim
testantur, magis sobriè modestaque obtemperantiã
vixit, animi voluptatem ex virtutum conscientia
intellexit, non meruisset tam acrem omnium Sapi
entum censuram. Sed neque Ciceroni, Plutarcho
aut alijs modestis viris unquam excusatus, neu Se
carii hujus Philosophi (quæ tamen felicitas cæteris
& præ omnibus ipsi Aristoteli in discipulis conti
git) opiniones in benigniorem interpretationem,
sed in extremam corporum turpitudinem detorse
runt, eoque relegationem & maledictionem à ple
risque gentibus meruerunt, adeo ut de Lyctio urbe
Cretensi, tanquam Diis hominibusque invisì, lege
publica pulsi, & si quis Epicureus, contempta
lege, reverteretur, Vinculus in catastâ, nudato
corpore lacte & melle illinitus viginti diebus pro
jectus esset, ut ab apibus & muscis consumeretur,
sed qui doloribus tantis superesset, veste muliebri
indutus de Saxo præcipitaretur. Idem à Messeniis
& Romanis expulsi Civitate, Athenæus. l. 12. c. 24.
Ælianus var. Hist. l. 9. c. 12. Sanior illis Epi
curi

curi
v. 13
qui
quæ
est,
nede
omn
cogi
sensu
runt
affin
cujus
camp
l. 6.
nota
Arm
Pasc
judæ
suis
lis p
turæ
Scrip
non
pulu
cate
cred
giam
plus
Non

euri de grege porcis, (ita ab Horatio l. 1. Epist. 4. v. 15 appellatis) fuit Menedemus Philosophus, qui dicenti: Maximum esse bonum, omnibus quæ quisque cupiat frui, respondit: Multo majus est, ea saltem quæ deceat cupere. Laërtius in Menedemo. §. 136.

§. 7. Enimvero severa illa lege Lyctia dignos omnes Paganos, Judæos & Turcas pronunciare cogimur, quippe quam tantopere in hac vita ex sensu humanitatis voluptatem obscenam damnarunt, futuræ coelesti vitæ & æternæ beatitudini affinxerunt. De Gentilium voluptatibus, pro cujusque in hac vita studio in sedibus illis beatis, campis nempe Elysiis futuris, unius Virg: *Æneid*: l. 6. v. 640. seq: locus satis testatur, ubi sufficit notasse versus hos.

— — — — — quæ gratia currum
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur telluere repostos.
Judæi moderni deliras traditiones in Thalmudicis
suis pandectis descriptas sectantur, in quibus fabu-
lis palmaris sunt, de Esu & potu Venereque fu-
turæ vitæ sub Messia, quos ex allegoricis Sacra-
Scripturæ dictis, bruta interpretatione adstruere
non erubescunt. Quis sibi temperet à gemitu, po-
pulum cui primo revelationum divinarum custodia,
cæteraque Religionis veræ Sacrosancta Mytheria
credita fuere, ad myticam Paganorum Theolo-
giam, iusto DEI judicio, quoniam in Synagogis
plus Plato quam Moyses valebat, prolaplum esse.
Non nullas fabulas cæcæ gentis compilavit ex ipso-
rum

rum Scriptis Buxtorfius, in Synogoga Judaica
 c. 36. & alii, c. g. de tauro immensæ magnitudi-
 nis Behemoth, de pisce Leviathan, & ave Ber-
 juchne tam grandi, ut Ovum ejus aliquando è nido
 lapsum, trecentas proceras Cedros prostraverit, &
 elisum sexaginta pagos inundaverit, deque Vino
 in cellis Adami recondito, quibus cibis & potu
 Messiam Israelitas ad satietatem excepturum som-
 niant, Sed Galatinus de arcan. Cathol. fidei Ve-
 ritate l. 12. c. 6. & 7 ex vetustioribus Rabbiniis
 imposturas illas recentiorum Rabbiorum refutat.
 Scilicet sic Satanas semel a Verbo DEI, Strellâ no-
 stra Polari, ad Traditiones hominum deflexos, in
 absurda præcipitia, & secundum ep. Colos. c. 2.
 v. 8. & 22. & 2. Thessal. c. 2, v. 10. in opera-
 tionem erroris, ut credant mendaciis & consensiant
 iniquitati, iusto DEI judicio, abducit, Saraceni
 salivam Impostoris Mahometh lambentes, similes
 fabulas, utpote ab deliro Judæo acceptas, fovent;
 Alcoranus enim multoties Palatia in paradiso, ves-
 tes pretiosas, choros concubinarum, cibos &
 potus delicatos, præsertim de jecore piscis Alem-
 peput, quem Mahometh dixit tantæ magnitudinis,
 ut capite Orientem caudâ Occidentem premeret,
 obstreper, de quibus Gerson P. 4. serm. de omni-
 bus Sanctis qv. 1. juste pronunciat: Paradisus
 Saracenorum, qui consistit in comedendo, biben-
 do, luxuriis, ad mutas potius bestias quam ad ho-
 mines spectat. Ipse Avicenna, præcipuus Sarace-
 norum Doctor in Metaph. turpitudines Alcorani
 sui velaturus: Sermones hujusmodi esse Metapho-
 ricos

rico
 hono
 voca
 mur
 in A
 tius
 mag
 scir
 mer
 vix
 om
 om
 fero
 mia
 rabi
 24.
 Qui
 hæc
 rem
 mer
 um
 per
 Ro
 qui
 illo
 Chr
 cep
 lum
 nec

ricos, quod non potuerint exprimi voluptates honestæ alterius vitæ rudibus hominibus, nisi vocabulis delectationum vulgarium, quæ in hoc mundo percipiuntur. Sed glossæ hujus nullum in Alcorano est vestigium.

§. 8. Enimvero quid hoc ad nos, qui potius de rebus ipsis judicare debemus, quam pro magno de hominibus, quid quisque senserit, scire, cum Augustino de Civ. DEI l. 19. c. 3. merito pronunciamus. Satis certè enumerari, vix possunt bona, quæ DEUS in hac quoque vitâ omnibus hominibus promiscuè concessit; Sed omnia hæc, uti supra ex Augustino diximus, miserorum sunt damnatorumque solatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa sunt, porro mirabundus Augustinus d. l. de Civ. DEI l. 22. c. 24. exclamat! si tot ac talia & tanta sunt ista! Quid dabit eis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam iis quos prædestinavit ad mortem? Quæ bona in illa beata vita faciet illos sumere, pro quibus in hac misera unigenitum suum filium voluit usque ad mortem mala tantâ perferre, quod argumentum est Apostoli ad Rom. c. 8. Cum hæc promissio complebitur, quid erimus? quales erimus? quæ bona in illo Regno accepturi erimus, quandoquidem Christo pro nobis moriente tale jam pignus accepimus? Qualis ibi erit Spiritus hominis, nullum omnino habens vitium, nec sub quo jaceat, nec Cui cedat nec contra quod saltem laudabitur

liter

liter certet, pacatissima virtute perfectus? Re-
rum ibi omnium quanta, quam speriosa, quam
certa Scientia, sine Errore aliquo vel labore,
ubi DEI sapientiâ de ipso suo fonte potabitur,
cum summâ felicitate sine ulla difficultate?
Quale erit corpus, quod omnino Spiritui sub-
ditum, & eo sufficienter vivificatum, nullis ali-
moniis indigebit, non enim animale, sed Spiri-
tuale erit, habens quidem Carnis, sed sine ulla
Carnali Corruptione, Substantiam. DEUS ipse fi-
nis desideriorum nostrorum erit, qui sine fine videbi-
tur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione lauda-
bitur. Delirent hæretici, rideant Philosophi, rum-
pant invidia dæmones, nos, qui ad Sanctam DEI
Civitatem electi sumus cives, in hoc fidei funda-
mento vincimus portas inferorum, spe firmâ &
sancto desiderio futuram corporum nostrorum
gloriosam resurrectionem anhelamus. Quan-
quam si laborem conciliationis summorum Phi-
losophorum suscipere, in illorum confusionem
juvet, mox in hoc quoque articulo Veritatis cre-
pusculum illis luxisse S. Augustinus d. l. c. 27.
ostendit. Plato enim sensit, animas sine corpo-
ribus in æternum non mansuras, sed aliquando
ad eadem redituras: Porphyrius ad mala hujus
vitæ nunquam relapsuras animas purgatas; Varro
præterea ex traditione Genethliacorum Palinge-
nesiam, qua idem corpus & eandem animam, quæ
aliquando fuerunt in homine, eadem rursus re-
ditura in Conjunctionem post longum tempus do-

que.

cuerit
rum
junct
de R
non a
pinqu
studia
pletas
potiù
eurem
num,
tem,
rillim
tum c
nile
quod
sepulc
perge
dum
Hym
Civita
fuit C
lites
cum
malis
fimo
fatiga
per c
anima
cula n

cuerunt, credidit. Hinc trium horum summo-
rum Virorum terrenæ Civitatis sententias con-
iunctas, unum quem prædicat fides Christiana
de Resurrectione articulum componere, quis
non animadvertit. Usque adeo Philosophi appro-
pinquarunt veritati in omnibus ferè punctis, sed
studio contradicendi, suasque læceras & incom-
pletas opiniones cum cæteris non sarciendi sed
potius dissociandi, in tenebris manserunt. Noster
autem quis alius est finis, quam pervenire ad Reg-
num, gloriam, opes, voluptates, delicias, quie-
tem, quarum nullus erit finis, castas tamen, pu-
rissimos, & ab omni fœtore vitiorum & necessita-
tum corporalium purgatas. Contemne præsens,
nile ô prudens homo! Quod terminandum,
quod relinquendum tibi. Omitte corpus, rem,
sepulchri & funeris, Tende ad futuram gloriam,
perge ad DEUM! Agnosce qui sis, Vince mun-
dum & seculum! Prudentius *perisse pavō v.*
Hymn. 10.

S. 9. Ad te igitur sancta mater Jerusalem,
Civitas cœlestis desideramus! quemadmodum
sunt Cervus fontes aquarum. Nos Cives tui, mi-
lites castrorum cœlestium, in hac miseriâ simul
cum Civibus mundi agimus, iisdem cum tuis bonis
malisque fruimur, eadem patimur, sed diversis-
simo fine, propterea sicut operarii ardore Solis
fatigati, Te præmium municipatus nostri summo-
perè cogitamus, atque in anxietate & amaritudine
animæ respicimus. Veni Domine *JESU* & solve vin-
cula nostræ Captivitatis, cupimus enim esse *Tecum*.

K

Quando

Quando veniam & apparebo ante faciem DEI,
nec enim volo multiplicari his terrenis bonis, de-
vorans tempora & devoratus temporalibus, cum
habeam in æternâ Simplicitate alios honores, alias
opes. *Tu Domine sagittasti Cor meum caritate
Tua, & gesto verba tua transfixa visceribus.* Jam
liber est animus à curis mordacibus ambiendi &
acquirendi, & volutandi atque scalpendi scabiem
libidinum, jam garrio *Tibi* Claritati meæ puris-
simæ & divitiis meis, & saluti meæ *Domino DEO
meo.* Ideò sacrifico *Tibi* sacrificium laudis, hostiam
Vociferationis, & in suave sonantis Ecclesiæ *Tuæ*
vocibus, in hymnis & Canticis præ gaudio ploro,
Voces enim illæ influunt auribus meis & eliquatur
Veritas *Tua* in Cor meum, & ex eâ æstuat affectus
Pietatis & currunt sæpè lachrymæ, & bene mihi
est cum illis. *O amor* qui semper ardes, & non-
quam extingveris, *Caritas & DEUS meus* accende
me! *O amor* meus in quem deficio, ut fortis sim!
Collige me à dispersione in quâ frustratim discif-
sus sum: Ab uno *TE* enim averſi in multa evane-
ſcimus. Propterea heu mihi, quia incolatus meus
prolongatus est in tabernaculis Kedar, multum in-
cola fuit anima mea cum his qui oderunt pacē, gra-
vis est mihi militia super terram, & sicut dies merce-
narii dies mei. Tolle jugum meum, quod traho grave-
nimis, eripe animam meam de morte, & pedes me-
os de lapsu, ut placeam coram te in Regione viven-
tium. Ibi laude *Tua* satiabor, Ibi psallam, ibi
jubilabo, ibi intromittes me in affectum introrsus
ad nescio quam dulcedinem, nec recidam am-
plius

plius
quibu
nunc
gnâ
salus
rum
purifi
tione
vider
carni
grina
mus.
turba
confi
meu.
Disce
audie
num
mis
stud
nesci
pora
lamb
rabo
mea
vera
es D
Nun
mori
Ten
ib

plius in hæc vana & misera ærumnosis ponderibus,
 quibus nunc solitis resorbeor & teneor. Talibus
 nunc vita mea plena est, & una spes mea in ma-
 gnâ Misericordia *Tua*. Dic igitur anima mea,
 salus tua Ego sum. O beatæ nimium illæ coelo-
 rum virtutes, quæ laudare TE possunt sanctè &
 purissimè cum nimia dulcedine & ineffabili exulta-
 tione! Indè laudant unde gaudent, quia semper
 vident unde gaudere valeant. Nos vero mole
 carnis pressi, & procul a vultu TUO in hæc pere-
 grinatione variè distracti TE dignè laudare nequi-
 mus. Quare tristis es anima mea, & quare con-
 turbas me, spera in *Domino*, quoniam adhuc
 confitebor illi *salutare vultus mei & DEUS*
meus! Miserationes *Tuæ* super omnia opera *Tua*.
 Discedite omnes, qui operamini iniquitatem; Ex-
 audit *DEUS* vocem fletus mei. Pulchritudi-
 num externarum operatores & sectatores longe ni-
 mis eunt, & vires suas spargunt in delitiosas las-
 citudines: Volentes gaudere forinsecus facilè eva-
 nescunt, & effunduntur in ea, quæ videntur, tem-
 poralia sunt & imagines eorû famelicâ cogitatione
 lambunt. Ego autem in umbra alarum *Tuarum* spe-
 rabo, donec transeat iniquitas, quia factus es spes
 mea, Turris fortitudinis à facie inimici. O æterna
veritas, & vera Caritas & cara æternitas. Tu
es DEUS meus, Tibi suspiro die ac nocte!
 Nunc tibi inhæreat anima mea, quam de visco
 mortis tam tenaci eruisti, & ignovisti redeuntia d
 Te meretrici anima humanæ. O Lux quæ semper
 lucet

lucēs, & nunquam obfufcaris, illumina me! O
utinam arderem ex Te! Ignis Sancte, quam favi-
ter ardes, quam fecretē lucēs, quam defideranter
aduris! Paucitatem igitur dierum meorum nuntia
mihi *Domine*, doce me numerare dies meos, ut
applicem femp̄ eos ad fapientiam. In manibus
Tuis fortes meæ; Quam magna multitudo dulce-
dinis *Tuæ Domine*, quam abfcondifti pro timentibus
Te. Benefac *Domine* bonis & rectis corde;
Laudabo *Dominum*, quoniam bonus, quoni-
am in æternum mifericordia Ejus!

Halleluja!



Medi-

DE
A

atitud
num.
mu (
misi
veri r
tatis E
culor
tilum
& fur
lia fla
velati
daci &
præce
Theo
De fa
ralis
Theo
ex ut
tio T
pulis
S. 17
revel
ad S.